

*miserentis est Dei, quia sine ejus adjutorio non possumus adipisci, quod volumus, sed potius, quia sine ejus vocacione non volumus: pro cuius ratione ulteriori assignari potest, quod L. 83. QQ. q. 68. n. 5. dixerat: Propterea et si quisquam sibi tribuit quod venit vocatus, non sibi potest tribuere quod vocatus est. Ex hoc vero quamvis necessitas gratiae prævenientis ostendatur, pro ejus tamen natura et efficacia ab intrinseco plane nihil decernitur.*

*Inst. 6. Ecclesia in orationibus suis agnoscit et petit gratiam, quæ inspirando sancti Spiritus fervorem reddit nos efficaces, rebellis compellat voluntates, frangat voluntatis pravitatem, quod rigidum est, flectat, et sola efficaciter nos Deo conjungat: sed gratia hujusmodi est ex se efficax; quia si efficacia gratiae non peteretur ab ejus natura et entitate, sed a consensu futuro aut hujus præscientia, illa efficacia esset in nostra potestate, et hinc gratiam a Deo postulare non foret necesse: nam ut Aug. L. de nat. et gr. c. 18. ait: Quid stultius, quam orare, ut facias, quod in potestate habeas; et L. de don. persev. c. 23. n. 63. Quis veraciter gemat desiderans accipere quod orat a Domino, si hoc a se ipso se sumere existimet, non ab illo? ergo.*

*R. N. m. Fatemur quidem diversis his propositionibus exprimi gratiam efficacem: eam autem ex se et natura sua efficacem asseri negamus; cum nihil ulla propositio contineat, quod gratiae quantumvis ex se repudiabili non congruat, si detur ex certa præscientia et prædefinitione futuri consensus. Eiusmodi enim gratia hoc ipso, quod in pia voluntatis affectione sita sit, et efficax statuatur, inspirando fervorem reddit nos efficaces; quod efficaciter movendo ex nolentibus faciat volentes, tum rebellis compellit voluntates, tum voluntatis pravitatem frangit, tum rigidum flectit et inclinat; quod congrue ad amorem Dei excitet voluntatem, sola nos Deo conjungit: maxime cum etiam in Scriptura legamus, homines terrore, egestate, necessitate compelli, responsione molli iram frangi, amore animam Jonathæ conglutinatam fuisse animæ Davidis, etc.*

*Ad Rat. Transmisso Supposito, D. seq. Efficacia gratiae esset in nostra potestate hoc sensu, quod per liberum nostrum arbitrium, secundum se et nude sumptum, potestatem ac sufficientiam habeamus ad implenda Dei mandata et salutaria opera præstanda. N. hoc sensu, quod jam collatae a Deo gratiae liberum arbitrium possit dissentire; vel eidem per vires ab ea acceptas consentire, et sic facere, ut hæc gratia sit in actu secundo efficax, ac talis futura sit prævisa, quam tamen dare vel non dare nobis unice pendeat a libera voluntate Dei. C. Prius asseruerunt Pelagiani eorumque reliquiae, atque id reprehendit in laudatis textibus S. Aug. ut L. de Hæres. c. 88. testatur: Illam vero gratiam Dei, sine qua nihil boni possumus facere, non esse dicunt nisi in libero arbitrio... Destruunt etiam orationes, quas facit Ecclesia, sive pro infidelibus et doctrinæ Dei resistantibus, ut convertantur ad Deum, sive pro fidelibus, ut augeatur in eis fides et perseverent in ea. Hæc quippe non ab ipso accipere, sed a se ipsis homines habere contendunt.*

*Inst. 7. S. AUG. L. 2. contra duas ep. Pelagi c. 8. n. 17. gratiam vocat inspirationem bonæ cupiditatis, ut homo non sit invitus nec reluctans: L. de gr. et lib. arb. c. 5. n. 12. magnam et efficacissimam vocationem: L. de gr. Chr. c. 24. internam, occultam, mirabilem et ineffabilem potestatem: L. 4. contr. Jul. c. 8. n. 42. omnipotentissimam voluntatem, et L. de corr. et*

*gr. c. 14. n. 43. cordium inclinandorum omnipotentissimam potestatem. Sed hæc omnia designant gratiam ab intrinseco efficacem; ergo.*

*R. N. m. Omnia hæc prædicata verificantur de gratia *congrua* præveniente et voluntatem ita afficiente, ut illa non tantum possit velle et operari bonum, sed etiam re ipsa velit et operetur, ad quod *infallibiliter* præstandum non requiritur auxilium ex se efficax seu necessario vi suæ entitatis connexum cum consensu, sed sufficit etiam tale, quod ex præscientia futuri consensus ac hujus prædefinitione datur. Præterea S. Aug. gratiæ tribuendo hujusmodi titulos, non intendit explicare modum efficaciæ in gratia, sed errores Pelagianorum convellere, et ostendere gratiæ necessitatem in excitanda, prævenienda et adjuvanda voluntate.*

*Ubi vero L. de corr. et gr. asserit Deo humanorum cordium inclinandorum *omnipotentissimam* potestatem, ibidem etiam modum inclinandi exponit gratiæ congruae convenientem, dicens: Quomodo adduxit? numquid corporalibus ulla vinculis alligavit? intus egit, corda tenuit, corda movit, eosque voluntatibus eorum, quas ipse in illis operatus est, traxit?*

*Inst. 8. S. Doctor 1. hanc efficaciam repetit ex voluntate et *omnipotentia* Dei, idque declarat exemplis Pauli, Assueri, Amasæ. 2. L. de Spir. et litt. c. 34. n. 60. in assignanda causa, cur unus convertatur et efficaciter vocetur, alter non item, configuit ad illud Apostoli: O altitudo divitiarum! 3. L. de don. persev. c. 43. n. 33. statuit, totum opus bonum esse tribuendum Deo, non quasi liberum arbitrium non agat, sed quia ut agat, agitur et efficaciter præmovetur.*

*R. N. Ass. Non quidem sequitur ex principio primo, gratiam de se esse efficacem; tum quia axioma rursus verificatur in *gratia congrua*; maxime cum efficacia non repetatur a voluntate et *omnipotentia* Dei *cœca* et sine sapientie suæ præscientia decernente aut agente: tum quia mens Aug. etiam hic non erat, efficacis gratiæ naturam et modum operandi exponere, sed ejus *necessitatem* et *effectum* contra Pelagianos demonstrare. Atque hoc quidem de exemplo Pauli et Amasæ.*

*Quod porro sententias attinet, quamvis prima et secunda ex aliis capitibus nobis minime repugnantibus sint veræ; S. Doctor tamen in L. de corr. et gr. earum veritatem fundat duntaxat in eo, tum quod *quolibet plantante, rigante ac operante, det incrementum Deus*: tum quod *ille nequeat non facere voluntatem Dei, qui in ejus corde operatus est, ut hoc vellet et faceret*. Tertiam demum sententiam exponit ipse Enchir. c. 100. subjungens: *Propterea magna opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus, ut miro et ineffabili modo non fiat præter ejus voluntatem, quod etiam contra ejus fit voluntatem: quia non fieret, si non sineret; nec utique nolens sinit, sed volens: nec sineret bonus fieri male, nisi omnipotens et de malo facere posset bene*. Adeoque nec *principium* istud pro gratiæ efficacia intrinseca in præsenti statu quidquam evincit.*

*Nec sequitur ex principio secundo; quia hoc principium ad *distributio-* *nem* gratiæ efficacis, minime vero ad ejus naturam pertinet: quandoquidem in quocumque systemate de viribus gratiae catholico ad solvendam quæstiōnem, cur alter gratiam efficacem a Deo accipiat, alter non, pro ultimata responsione nihil restare statuatur, quam necessarius ad *illud Apostolicum* recursus.*

Denique nec ex tertio principio sequi gratiam de se efficacem, patet ex dictis num. 362. Cæterum citato loco nequidem de gratia *interna*, sed de *externa* duntaxat agitur, qua Deus non inducit aut non sinit nos inferri in tentationem; quod utique totum est dandum Deo, et ab illo petendum, ut ibidem c. 6. n. 12. S. Aug. tum ex Evangelio, tum ex oratione S. CYPRIANI demonstrat.

*Inst. 9.* PATRES tum priores, tum posteriores AUGUSTINO eamdem gratiæ naturam agnoscunt. Ex 1<sup>a</sup>. classe TERTULL. L. de Anim. c. 21. dicit *vim gratiæ potentiorem natura, habentem in nobis subjacentem sibi liberi arbitrii potestatem*. BASILII L. de Sp. S. c. 8. (opp. t. 3. p. 15. D.), gratiam appellat *auxilium, quod per imperium sua potentiae operatur in nobis*. AMBR. L. de Sec. fuga c. 1. n. 1. scribit, *non esse in potestate nostra cor nostrum*. Ex 2<sup>a</sup>. PROSP. in ep. ad Rufin. n. 6. : *Quis ambigat, inquit, tunc liberum arbitrium cohortationi vocantis obedire, cum in illo gratia Dei effectum credendi obediendique generaverit?* FULG. L. 1. de verit. præd. et grat. c. 15. *Ista gratia.... ab illuminatione cordis incipit; et hominis voluntatem non bonam invenit ipsa, sed facit; atque ut eligatur, ipsa prius eligit; neque suscipitur aut diligitur, nisi hoc ipsa in corde hominis operetur, etc.*

R. N. Ass. Quoad 1<sup>am</sup>. classem, 1. TERTULL. I. c. impugnat Valentianos, qui convertibilem negabant naturam, ut Trinitatem suam in singulis proprietatibus figurent; contra quos cum ex sacris litteris probasset de lapidibus suscitat filios Abrahæ, et genimina viperarum facere fructus pœnitentiæ, illudque ostendisset non evenire sine mutatione, demum effectum hunc tribuit gratiæ divinæ moventi liberam arbitrii potestatem, quæ cum sit et ipsa naturalis atque mutabilis, quoquo vertitur, natura convertitur. Unde eatenus gratia asseritur hic *potentior natura, et habens subjacentem sibi liberam arbitrii potestatem*, quatenus natura est formaliter mutabilis in ipso libero arbitrio, et hoc movetur a gratia; non autem quatenus gratia aut prædeterminat, aut necessario determinat.

2. In BASILII verbis relativum *quod* in accusandi, non autem in nominandi casu usurpatur, ut adeo dicatur auxilium gratiæ in nobis fieri et existere per divinæ potentiae imperium, quod non efficaci tantum, sed et sufficienti gratiæ convenit. Quodsi vero etiam usurpetur relativum in nominandi casu, non tam gratia efficax, quam sufficiens intelligi potest ex contextu, cum addatur: *Nos fecit vasa utilia Domino, apparatus ad omne opus bonum, ob promptitudinem illius, quod erat in nobis.*

3. S. AMBR. tantum negat cor nostrum esse in potestate nostra, quantum ad excitationem aliquam vel tactum cordis per cogitationem antecedentem, ut patet tum ex antecedentibus: *Frequenter irrepit terrenarum illecebra cupiditatum, et vanitatum offusio mentem occupat, ut quod studeas vitare, hoc cogites animoque volvas;* tum ex consequentibus: *Et nostræ cogitationes, quæ improviso effusæ mentem animunque confundunt, atque alio trahunt quam tu proposueris, ad secularia revocant.*

Quoad 2<sup>am</sup>. classem patet ex ipsis verbis objectis, PATRES his sententiis pugnassem contra Pelagianos et Semipelagianos, qui vel negabant gratiam internam et operantem esse necessariam ad fidem aliaque opera bona; vel eam contendebant esse pedissequam voluntatis et meritorum naturalium: quare nulla veri specie ad probandam gratiam de se efficacem afferuntur.

363. *Dico III.* Efficacia gratiæ non stat in entitate auxilii virtute sibi intrinseca voluntatem sic moventis, ut moraliter implicet, non sequi consensum; contra Augustinianos.

*Prob. I.* Auxilium sic ex natura sua et per se voluntatem movens nec est necessarium ad obtinendum effectum, nec semper adest, dum obtinetur effectus; ergo efficacia gratiæ in entitate hujusmodi auxilii male statuitur.

*Prob. 1<sup>a</sup>. pars Ant.* Si auxilium ita voluntatem movens foret necessarium, qui illud non reciperet, non haberet auxilium sufficiens; quia hoc includit auxilia necessaria ad agendum: sed plurimi peccatores, qui auxilium ita movens nec sentientes nec recipientes male agunt, vel non convertuntur, auxilio tamen sufficiente non parent, ideoque non excusantur a culpa; ergo.

*Prob. 2<sup>a</sup>. pars.* Constat tum *experiencia*, quod in venia inimicis danda, in resignatione ad mortem aliisque in casibus naturali inclinationi repugnantibus, sentiamus magnam operandi difficultatem et animi reluctantiam; tum ex Scriptura, Matth. 11., quod regnum cœlorum vim patiatur, et violenti rapiant illud; ergo nec semper nec passim in operibus salutaribus adest auxilium ita movens voluntatem; cum inde voluntas sentiret magnam difficultatem non consentiendi seu non agendi bene.

*Prob. II.* Illa *moralis infallibilitas* consensus ponendi et secuturi ex motione illius gratiæ, neque est tantum *late dicta* seu talis, quæ significet consensum passim ac fere semper ponendum, subinde tamen, sed rarissime omittendum; quia in hoc casu quantumvis rarissimo reipsa gratia nec foret efficax, nec medium infallibile ad obtinendum effectum: neque est *strictè dicta* et talis, quæ significet consensum simpliciter non posse non ponit; quia alias haec gratia in se esset irreproducibilis, atque hinc non posset conciliari cum libertate humana: neque est *quasi intermedia* et talis, quæ significet consensum pro omni casu possibili reipsa ponendum, quamvis simpliciter possit non ponit; quia, si infallibilitas haec fundetur in una auxilii virtute et ratione propria movendi, infallibilitas haec aequa repugnat libertati, et gratia non poterit repudiari, ac illud dictum est de infallibilitate stricte dicta; cum idem videatur, ob gratiæ entitatem et motionem intrinsecam consensus simpliciter non posse non ponit, ac ob eamdem rationem non esse possibilem ullum casum, quo consensus non ponatur, seu consensus pro omni casu possibili esse ponendum.

*Prob. III.* Præscientia et dominium Dei in actus creature liberos debet esse *metaphysice infallibile*; quia in Deo debet statui omnis perfectio simpliciter simplex, qualis sine dubio est infallibilitas metaphysica sive summa præscientie et dominii divini: sed in hac sententia præscientia et dominium Dei in actus creature liberos non foret metaphysice, sed tantum *moraliter infallibile*, ut supponitur; ergo.

366. *Obj.* Gratia, quæ ex natura sua et per se ita movet voluntatem, ut moraliter implicet, non sequi consensum, salvat infallibilitatem præscientie divinae; ergo. *Prob. Ant.* Deus per scientiam *simplicis intelligentiæ* comprehendendo essentiam hujus gratiæ et indolem voluntatis humanæ videt hanc veritatem conditionatam: *si existeret hujusmodi gratiæ auxilium, daretur consensus:* sed hoc ipso Deus habet certitudinem metaphysicam de consensu infallibiliter ponendo sub hypothesi talis gratiæ per solam simpli-



cem intelligentiam; sicut juxta nos habet certitudinem metaphysicam de hac veritate per scientiam medium; ergo.

R. N. M. Deus per scientiam simplicis intelligentiae comprehendendo hanc gratiam et voluntatis indolem videt duntaxat gratiae auxilium habere necessitatem *moralement* ad consensum, non autem in illis videt consensum infallibiliter futurum; quia hic est simpliciter contingens, cuiusmodi res tantum per scientiam medium cognoscuntur, ut dictum in Tr. de Deo.

*Inst. 1.* Hæc veritas conditionata est metaphysice certa, et cognoscitur per simplicem intelligentiam: *si existeret morali necessitate consensus, daretur consensus;* ergo etiam metaphysice certa est, et per simplicem intelligentiam cognoscitur hæc veritas: *si existeret auxilium gratiae moraliter necessario inferentis consensum, daretur consensus;* quia metaphysice certum est, quod moraliter necessario existat consensus, si existit auxilium moraliter necessario inferens consensus.

R. 1<sup>o</sup>. D. A. Hæc veritas est metaphysice certa et per simplicem intelligentiam cognoscitur, si aequivaleat huic: *si existeret consensus procedens ex morali necessitate, existeret consensus C.* si aequivaleat alteri: *si existeret moralis necessitas ad consensum, existeret consensus N.* Quia simpliciter et absolute fallere potest, quod tantum sub conditione moraliter necessaria interfertur.

R. 2<sup>o</sup>. T. A. N. *Cons.* et *prob.* Ex eo enim, quod metaphysice certum sit, si existat aliquod auxilium, moraliter existere consensum, consensus non existat certo metaphysice, sed tantum moraliter; adeoque nec scientiam Dei metaphysice certam fundare *objective* potest.

*Inst. 2.* Gratia ejusmodi non necessilaret voluntatem ad consensum necessitate *physica*, sed tantum *moralis*, ut supponitur; ergo simpliciter manet libertas.

R. 1<sup>o</sup>. N. A. Quamvis adversarii asserant in *thesi* *moralement* duntaxat necessitatem, tamen in ejus defensione admittere vel volunt, vel coguntur majorem; tum quia talem gratiae cum consensu connexionem statuunt, ut pro *omni casu possibili* implicet, consensum non sequi: tum quia summam divinæ scientiæ certitudinem salvare laborant: unde quantum volunt salvare humanam libertatem, tantum destruunt infallibilitatem divinam.

R. 2<sup>o</sup>. D. *Cons.* Manet libertas mere *physica* T. *moralis N.*

*Inst. 3.* Quamvis homo lapsus sine gratia nequeat moraliter vincere *tentationes graves*, tamen is cedendo tentationi peccaret, quia saltem habet potentiam physicam illi resistendi; ergo similiter homo cum illa gratia meritorie adhuc ageret, et sic retineret suam libertatem.

R. T. A. N. *Cons.* *Disparitas* est; peccator in statu naturæ lapsæ non est sine *gratia sufficiente* vel proxime, vel remote tali, unde habet potentiam saltem secundum quid *moralement* resistendi *tentationibus gravibus*; adeoque non dicitur peccare *libere*, quia solam habet potentiam physicam resistendi: e contra cum ista gratia nequidem secundum quid staret moralis potentia dissentiendo, adeoque nec libertas aut meritum salvaretur; præsertim cum nec *physica* potentia sit vera, quæ pro nullo casu possibili exeritur ob proprium, vel alienum impedimentum.

*Inst. 4.* Gratia, qua conversus est PAULUS, fuit talis, quæ voluntatem ita movit, ut *moraliter* implicaret consensum non sequi, ut patet Act. 9. ex

verbis Christi: *Durum est tibi contra stimulum calcitrare*, et ex encomio Aug.: *Magna et efficacissima gratia*; item talis appareat in pluribus justis, ac virtutum habitu valde intenso acquisito imbutis, qui saepe ad actus faciliores ita excitantur, ut habere necessitatem *moralement* videantur; ergo.

R. Nec ex textu *SCRIPTURE*, nec ex verbis AUG. colligitur vis tanta illius gratiae, ut moraliter necessitarit, sed ea tantum, cui resistere fuerit difficile; unde negari potest *Antec.* Sed eo etiam permisso negatur tamen *Cons.*, quia consecutio non valet a particularibus quibusdam ad universale; nec ex hoc, quod gratia efficax interdum moraliter minus stricte necessitet, inferri potest, hanc esse gratiae efficacis essentiam.

## ARTICULUS II.

### AN EFFICACIA GRATIAE STET IN ENTITATE AUXILII DIVINI COMPARATIVE SUMPTI?

367. *Nota.* Questionem hanc asserunt non tantum *Jansenius* cum suis sequacibus, sed et Catholicorum non pauci, qui, quoniam profitentur, famosas quinque propositiones sincere a se anathematizari, eos INNOC. XII. in Brevi an. 1694. ad Belgas dato prohibet, invidioso *Jansenistarum* nomine traduci et nuncupari. Quomodo *Jansenius* efficaciam gratiae non ex sola entitate illius, prout hæc est in se, sed prout concurrit cum minore concupiscentia opposita, repeatat; expositum est tum num. 216., tum 326.

Ex hujus systemate *reliqui* præsentis quæstionis assertores, supposita delectationis indeliberae ac prævenientis in carnalem seu terrenam, et in spiritualem seu cœlestem divisione et gradualitate, assumunt 1<sup>o</sup>. delectationem unam alteri superiore gradu, seu viribus fortiorum et intensiorem, ipso etiam effectu-eamdem vincere: 2<sup>o</sup>. alterutram esse principium et causam omnium actuum humanorum: 3<sup>o</sup>. aliquo modo necessarium esse, ut secundum id, quod nos amplius delectat, seu secundum delectationem victricem, agamus.

Ex his statuunt 1<sup>o</sup>. gratiam esse inspirationem sanctæ delectationis: 2<sup>o</sup>. hanc delectationem habere suos gradus; eamque, quæ victrix est, seu superat contrariam cupiditatem, esse efficacem; quæ vero vincitur ac minor est, esse inefficacem: 3<sup>o</sup>. ab eadem delectatione victrice ita moveri et determinari voluntatem, ut necessario sequatur consensus effectus.

368. *Dico I.* Efficacia gratiae non stat in delectatione relative superiore, seu victrice *ad sensum Jansenii*.

*Prob. I.* Delectatio relative victrix *ad sensum Jansenii* est fundamentum et basis universi ejus systematis, ex eaque propositiones quinque famosæ deducuntur, ut num. 216. est ostensum: sed et illud sistema inimicum est libertati, ac propositiones illæ sunt saepius damnatae; ergo nec ejus basis et fundamentum, nec harum radix et origo sana esse potest ac tolerabilis.

*Prob. II.* Gratiae efficacia non stat in motione voluntatem *necessitante*: sed delectatio victrix in sensu Jansenii est motio voluntatem necessitans; tum quia ex illius principiis voluntas humana per Adæ peccatum amisit vim flectendi sese pro nutu suo ad aliquid, et hujus facultatis loco successit